

Est falsus & erroneus. Quia

1. Licet Apostoli celebraverint cœnam in Ecclesia, 1. Cor. XI, 20. Act. XX, 7. & CHRISTVS inter Apostolos; Matth. XXVI. 26. 27. fregerunt tamen etiam panem passim in domibus, Act. II, 46.

2. Qui privatim communicat digne, pertinet ad Ecclesiam Sanctorum, inter quos cœna publice celebrata, est symbolum communionis, 1. Cor. X, 17.

3. Reiecta omni superstitiosa opinione, omnino dici potest viaticum, quo anima fidelis moribundi, in fide confirmata, & de vita æterna certior facta, in cœlum evolat, Joh. VI, 47-58. coll. cum 1. Cor. XI, 26.

## CAPVT XXIX.

### DE FIDE.

Pag. m. 157. Aphorismus 1.

**F**ides temporaria non differt sola duratione a fide salvifica, sed etiam specie, essentia & tota natura.

Est falsus & erroneus. Nam

1. Fides quidem salvifica excipit sermonem, in terra bona, fructum fert, perseveratque ad finem: Matth. XIII, 23. coll. cum Cap. XXIV, 13. contra, fides temporalis est in terra petrosa, & ad tempus vera vivaque est; at tempore afflictionis ac persecutionis, deficit, Matth. XIII, 20. 21. coll. cum Luc. VIII, 13.

2. Si subjectum fidei temporalis, non habentis radicem (scil. profundam,) ad tempus credit vere, testante ipso Salvatore CHRISTO; sequitur infallibiliter, fidem salvificam, recipientem sermonem & retinentem, differre, sola duratione, a fide temporali, Luc. VIII, 13. 15. Atqui verum est prius, ergo & posterius.

3. Si